

Q. D. B. P.
DISSERTATIO THEOLOGICA,
DE
ÆTERNA JUDICII DIVINI
OECONOMIA,
Ex Gen. III. 8-24.

Quam
Divinâ favente gratiâ,
Sub PRÆSIDIO
RECTORIS h.t. MAGNIFICI,
*VIRI Plurimum Reverendi, Magnifici, Am-
plisimi, Excellentissimiq̃,*

DN. JO. DEUTSCHMANNI,
SS. Theol. Doct. & Prof. Publ. longè cele-
berrimi, Alumnorum Electoralium Ephori
gravissimi,

*Dn. Fautoris, Patroni & Præceptoris
sui, omni honoris cultu prosequendi,
publice defendet*

RESPONDENS
JOHANNES LANGIUS,

Rupe-Transylv. A. A. LL. Cultor,
Seren. Elect. Sax. Alumn.

In Auditorio Majori,

hor. & loc. consvetis,

Mo. M DC LXXXIX. d. 8. Febr.

E. X. 72.

WITTEBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

[Signature]

l. diss. A
2, 18

34. A 162 (18)

Handwritten text at the top of the page, including the name "Johann Baptist" and "1711".

Handwritten text in the middle section of the page, including the name "Johann Baptist".

Handwritten text in the lower middle section of the page, including the name "Johann Baptist".

Handwritten text in the lower section of the page, including the name "Johann Baptist".

Handwritten text at the bottom of the page, including the name "Johann Baptist".



IN NOMINE JESU!
DISPUTATIO THEOLOGICÆ BIBLICÆ,
DE ÆTERNA JUDICII DIVINI
OECONOMIA,

EX GENES. III. v. 8. - 24.

1.

Illustris, maximèq; notabilis, in *Cap. III. Geneseos*, respectu Dei, reperitur *Oeconomia*: nam ratione *variorum* vel *principiorum*, vel *Subjeutorum*, vel *Objectorum*, etiam varia datur *Oeconomia*. (1) Respectu *Diaboli*, qui vult etiam *Oeconomi Personam* assumere; cumq; ve sit alias *simia Dei*, quoad hominem malam *Oeconomiam* instituire conatur, & hæc est *Oeconomia seductionis*, v. 1. seq. (2) Respectu *Hominis*, datur *Oeconomia transgressionis*, vel *prevaricationis*. (3) Respectu *Dei* notatur *Oeconomia judicialis Administrationis*.

2. Si totum *Caput* conferimus, ὁλοκῶς *Dei* iudicium considerare possumus, siquidem exponitur, I. *Judicium Dei permissivum*, v. 1. seqq. II. *Judicium Dei privativum*, v. 7. III. *Judicium Dei positivum*, v. 8. seqq. *Tria Germanorum S.* dicuntur alias notatu digna, *Sünde/ Schande/ Schade/* quæ se mutuo respiciunt, se mutuo pariunt, *monstruosum Collegium* constituunt, *circulum*, *pestimum* absolvunt. Nam *peccatum* parit *probrum*, *probrum* parit *damnum*, ἀμαρτία dat ἀπυίαν, ἀπυία parit ἀκερδίαν, *damnum* & omne prorsus *incommodum*. *Inobedientia* parit *ignominiam*, hæc *indigentiam*, *Culpa* parit *penam*, *pena* *miseriam*. *Judicium permissivum* indicat *Protoplastorum* lapsum, *Privativum*, imaginis divinæ, vel *omnis perfectionis damnum*: *Positivum*, *comminationis Diabolicæ*, vel *omnis maledictionis, & condemnationis habitum*. Nos hac vice de *Positivo iudicio summi iudicis* meditationes pi-as proponemus, & in *Oeconomiam æternam Hominum lapsorum* inquiramus. Nam *externi lapsus Historia* certissima dicitur *intuitus æterni memoria*, cum in *æterna Dei visione* nihil incipiat, nihil desinat, in *æternitate* nullum datur prius, nullum postertus, nullum *initium*, nullum *exodium*. *Speculum* igitur *externorum factō-*

Λ

75100

DE ÆTERNA JUDICII DIVINI OECONOMIA

rum, est *speculum æternorum Decretorum*, *speculum secularis Oeconomias*, est *speculum antefecularis Oeconomias*, *speculum temporalis executionis*, est *speculum æterna constitutionis*.

3. *Speculum igitur externum, & Historicum dum intuemur, speculum æternum, & Decretorium*, in eo contuemur, & sic juxta textum admonemur, quod *triplex sit æterna judicialis Oeconomia*. I. *Oeconomia Verbalis*, in *judiciali apparatu*, II. *Oeconomia realis*, in *judiciali Statu, vel actu*. III. *Oeconomia Ceremonialis, vel Eventualis*, in *judiciali fructu, vel Effectu*: prima sistit *ingressum*, secunda *progressum*, tertia *egressum*; prima *judicis adventum*, secunda *judicis actum*, tertia *judicis eventum*; prima dicitur *preliminaria*, secunda *formalis, vel essentialis*, tertia vocatur *accidentalis*, prima *convictionis, & confessionis*, secunda *decisionis*, tertia *consecutionis*; prima vocatur *institutionis*, secunda *constitutionis*, tertia *consecutionis*; prima *causalis*, secunda *substantialis*, tertia *Ceremonialis*, prima *principiorum*, secunda *decretorum, vel decretalium Exercitiorum*, tertia *signorum. &c.*

4. Quod igitur concernit I. *Verbalem Oeconomiam*, quoad æternum intuitum, in externo textu conspicuum, tria rursus occurrunt. (I) *Judicis Comparitio*, v. 8. (II) *Judicandi, vel Rei citatio*, v. 9. (III) *Judicii constitutio*, quoad *rigorosum judicandorum Examen*. v. 10. 11. 12. 13.

5. I. *Judicis Comparitio* v. 8. describitur. Hactenus in foro lapsus Deus quasi cessaverat, nec ullum opus fecerat, sed homine, vel etiam ipsi serpenti, fræna laxaverat, ac omnia permiserat; nunc à conniventia qua ï surgit, suam præsentiam aperit, *παύτοψία* suã ostendit, conscientiam hominum impellit, & se Deum, tum *inditem*, tum *Judicem*, tum *vindicem*, esse, factis ipsis prodit. Hic igitur, tanquam *judex*, apparuit, & ab æterno sic apparere decrevit. *Judicis apparitio* nihil aliud est, quam *judicii, vel indicatio, vel insimatio, vel publicatio*. Non equidem hic *judex* absens fuerat, attamen instar *judicis*, se non manifestaverat. Nunc adest *Legulator*, cujus *lex, malitiosa vel inobedientia, vel transgressione, violata fuerat; Monarcha summus, contra quem homo crimen lese*
maje.

majestatis commiserat, *Ju. lex* severus, gravissimum hoc læsæ majestatis divinæ crimen atrociter vindicaturus: adest ipsum scelus, totalis *apostasia*, præceptorum omnium *divina legis transgressio*: reus adest, lapsus homo. Sic igitur *Jehova* Deus Judicis personam assumebat, & instar *judicis* comparebat, *judiciale* vocem edebat, & homines *apostatas* maxime terrebat. *Rei* neutiquam *Judicem* audire, nuditatem suam tegere, vel in conspectum *judicis* procedere, sed potius fuga sibi consulere, & inter dumeta, vel arbore: abscondere se præsumunt. Verùm fugæ vanus ausus, frustraneus absconsionis actus: Deus *omnipræfens* est, à quo nullus reus fugere potest! Deus *omniscius*, & πανταπιης est, totus totus oculus omnia cernens, & angulos occultissimos intuens, & ingrediens!

6 II. *Judicandi*, vel *rei citatio*, v. 9 sequitur, quia *Jehova Elohim* vocavit *Adam*, & dixit, *Ubi es?* Notandum hic, quod Deus sine prævio *judicio* neque statim *judicet*, neque *condemnet*, quod legibus *Judeorum* Joh. VII. *Romanorum*, & *Gentilium*, Act. XXIII. vel ipsis juribus naturalibus, Matth. VII. maxime consentaneum, adeoque sic *divine* τειξεως, cum *jura natura*, *Gentium*, & *Judeorum* vera, non aliunde, quam à Deo, *naturæ rationisq;* rectæ fundatore, pendeant, & h. l. *divinæ* τεειξεως. Præterea notamus hic circa *Rei citationem*, (1) *Citantem Judicem Dominum*, qui dicitur *Jehova Elohim*, quia nimirum *Jehova Elohim Adamum* creaverat c. II. 7. *Jehova Elohim* ipsum, tanquam vasallum, receperat, eumque suorum bonorum *Oeconomum* constituerat, v. 8. seqq. v. 15. seqq. & lege quadam solenniter obligaverat, v. 17. (2) *Judicialis citationis medium*, quod dicitur *Vocatio*, quæ ratione *citatio* dicitur partim *velocissima*, quia statim post lapsum commissum instituitur; partim *efficacissima*, quia non est *citatio nuda verbalis*, sed *realis*, non pro *forma* saltem, sed cum *pondere* potenter instituta, non exceptionibus, aut dilationibus, vel aliis *juris beneficiis obvia*, sed *preemptoria*, hoc ipso momento cum actu conjuncta: partim *penetrantissima*, quia penetrat & replet non saltem *aerem*, sed etiam *aures*, inò non tantum *aures*, sed etiam *mentes*, *voluntates*, *corda*, *conscientias*, & alia, *citatorum*, ut *comparere* necessum habuerint. (3) *Judicialis citationis modum*,

DE ÆTERNA JUDICII DIVINI OECONOMIA,

Adam, ubi es? Modus hic includit citationis Judicialis Objectum, Adam, & ipsum actum, Ubi es? Adamum nominat, sed Evam non separat: Socia culpabilis, & illegalis transgressionis, & prevaricationis, fit socia judicialis citationis. Adam principalis, Eva minima principalis: accessorium autem sequitur suum principale. Caput erat Adam uxoris, & Familia. I. Cor. XI. 3. Citatur igitur Caput, sequitur membrum, citatur maritus, subindicatur marita: DEUS obligaverat Adamum legis immediata promulgatione, hunc igitur potissimum citare, rationesque seu servatae, seu violatae legis ab eodem postulare volebat. Modus citationis etiam includit actum, Ubi es? nim. non cum Creatore, sed cum Seductore, non cum benefactore, sed cum deceptore, non in lege, vel juxta legem, sed ex lege, vel contra legem, non in bona, sed mala conscientia, non in via; sed in fuga, non in luce, sed in latebris. &c. B. Gerhardus multa notatu digna circa citationem hanc Comment. sup. h. l. adducit: Ad judicium citatio scribit: Hebr. Jehova Elobim vocavit ad Adamum, i. e. cum in assumpta forma hominis ei appropinquaret, inclamavit eum, dicens ויבא Ubi tu? in qua unius vocula brevitate magna latet emphasis. Faustus Manichæus ex b. l. arripuit ansam accusandi Mosén, quod Dei providentiam negaverit, quasi Deus hominem, in angulo paradisi latentem, clamoribus inquisiverit, ac si illum videre non potuisset, August. lib. 22. contra Faustum cap. 1. Sed questio illa Jehovæ non est interrogantis, sed est (1) vox Judicis, hominem peccatorem ad judicium citantis: voluit enim Deus Adamum prius vocare, & causam ejus discutere, ne non auditum condemnare videretur. (2) Patris Filium increpantis. Exprobrat enim Deus Adamo, quod concreatam felicitatem amiserit, & in peccati turpitudinem incidere. Ambros. lib. de Parad. c. 14. Non locum querit, qui arcanum novit, neq; enim clausos oculos habebat. Non ergo interrogatio est, sed increpatio. De quibus bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam misericordiam cecidisti? Dereliquisti vitam, & accumulatus es morte consepultus errori. Ubi est tua bene sibi conscia confidentia, timor iste culpam fatetur, latebra prevaricationem. Ubi ergo es? non in quo loco quæro, sed in quo statu, quo te deduxerunt peccata tua, ut fugias Deum tuum, quem

quem ante quarebas, (3) Medici confessionem morbi ab aegroto extorquere conantis. Non enim querit directe, quare peccarint? sed vult, ipsos hoc sponte confiteri (4) Creatoris, creaturae suae sortem commiserantis. Chrysof. in b l, Hæc vox Dei, Ubi es? plurimam habet misericordia vim, cum comitate conjunctam, quod lapsum hominem Deus ipse requirit.

7. Pondera plura, vel etiam longe majora reperiuntur in his verbis, quod prolixè demonstrare possemus. Hac vice saltem dicimus, quod hæc verba sint, (1) *Legalia*, & quidem tum legalis informationis, *Ubi es*, q. d. ah tu es sine Deo, sine lege, es extra limites, & viam vocationis, in fuga, vel latebris absconsonis, non in opere, tibi à me commissio, sed in scelere contra me, meamque legem à te revera admissio: tum *legalis exprobrationis*, quia tales *avvriaz*, οὐχίαι, & extravagantias, protoplastis graviter exprobrat: tum *legalis redargutionis*, quia verbis his vehementer Adamum objurgat, quod tam cito defecerit, quod tantis bonis per lapsum exciderit, quod omnia mala contraxerit: tum *legalis vocationis*, ut compareat, & rationem suæ villicationis, vel potius transgressionis exponat: tum *legalis confusionis*, quia per malam conscientiam territus, nunc magis, magisque per judicialem vocationem in conscientia cunstringitur, & sic in omnibus confunditur; tum *legalis convictionis*, quia verba hæc sunt prima futuræ judicialis convictionis initia, vel indicia: tum *legalis, vel obligationis, vel compulsionis*: quia lex observantes obligat ad obedientiam, peccantes, & pravaricantes ad penam; hac ratione quoque compellit Adamum, ut coram iudice compareat, rationem servatæ, seu violatæ legis reddat, & iudicis, vel *justitiam*, vel *misericordiam* expectet.

8. (2) *Evangelica*; nam quia Deus serpentem, & Caco-dæmonem non vocavit, sed statim damnavit, ideo nostris protoplastis per hanc vocationem *misericiendiæ* spem aliquam insinuavit, & intimæ suæ commiserationis affectum alloquio præfenti manifestavit: *Homo* fugerat Deum, *Deus* revocat hominem, *homo* corruerat Dei verbum, *Deus* postliminio dignatur eum suo verbo: per lapsum homo recesserat à Deo, sed *Deus* per verbum recedebat ad *Hominem*, &c.

DE ÆTERNA JUDICII DIVINI OECONOMIA.

9. Denique quod concernit *Judicii constitutionem*, quoad rigorosum judicandorum *Examen*, illud certe non est absolum, sed & divinæ *sapientie*, & *divinae majestati*, vel *eminentie* consonum, non ab *equitate*, vel *justitia*, alienum, sed in divina, tum *equitate*, tum *Dei justitia* fundatum, adeoq; maxime dicitur (a) *Examen judiciali processu*; *consentaneum*, ratione *quidditatis*, dum *Jehova Elohim*, *judex*, non ab executione processum inchoat, sed prius *judicium* ad causæ cognitionem, & reorum convictionem format, & adornat. (b) *Examen plenarium*, non unius, vel alterius, sed omnis partis, ratione *quantitatis*, quia non solum *Maritum*, *Adamum*, sed etiam *Evam*, *Exami* judiciali submittit. (c) *Examen ordinatum*, non autem tumultuarium, ratione *qualitatis*, dum non tumultuarie procedit, sed *justum ordinem* respicit, & unum *reum* post *alterum*, non simul *omnes*, *Exami* subicit; & in admissione personarum etiam *debitum ordinem* respicit, quia primum *Adamum*, tanquam *societatis caput*, post etiam *Evam*, tanquam *ejus sociam*, in *judicium* producit: *serpens* autem, tanquam *primus autor* omnium scelerum, tanquam *studiosus malorum propagator*, tanquam *induratus malorum observator*, tanquam *juratus divinæ legis oppugnator*, tanquam *notorius*, & *nequissimus Protoplastorū Seducor*, tanquam *ἡγχιανέξων*, & *continuus malorum fabricator*, & *miserorum illusor*, &c. prorsus indignus *Examine judiciali* censetur, ideoq; statim *vetus*, vel *prima pæna maledictionis*, & *condemnationis* confirmatur, & multiplicatur.

10. Consistit autem hoc *Examen judiciale* *Protoplastorum*, (I) *in Judiciali citatorum*, vel *reorum auditu*. Satis multi jam *aderant Actores*, & *accusatores*: *accusatores* habebant *protoplasti* tum *intra se*, *propriam scientiam*, *malam conscientiam*, *imaginis divinæ jacturam*, *ipsam corruptam naturam*, *corruptas aures*, *oculos*, *manus*, *pedes*, &c. tum *supra se*, *Deum ipsum*, *solam DEI presentiam*, *ejus deambulationem*, *vocem*. &c. v.7. Item *stellas*, *Solem*, *Lunam*, & *cætera sidera*, cunctasque *cælorum influentias*, quæ nunc in *pravos hominem affectus*, *motus*, *impetus*, &c. suos *optimos influxus* dare necessum habebat, &c. tum *juxta se parricidijum*

EX GENES. III. v. 8 -14.

disum, cum omnibus *arboribus, floribus*, & aliis *vegetabilibus, animalia* cuncta irrationalia, &c. Dominum suum, tanquam Creatori *rebellem*, accusantia: tum circa se, totum Macrocosmum, longe lateque patentem, & de apostasia Microcosmi conqverentem, &c. tum *infra se, terram*, quæ *rebellem* hominem, *ingratum* hominem, *maledictum* hominem, instar *oneris* ferre debebat: sic & *subterrestres spiritus*, Phil. II. 10. ipsum accusabant; cum primis *Serpens Paradisiacus* accusator ejus erat: primum *lapsus Auctor*, & *Promotor* fuerat, postmodum ejus *accusator* fiebat, cum *serpens antiquus*, qui vocatur *Diabolus*, & *Satanas*, & seducit universum orbem, Apoc. XII. 9. dicatur accusator fratrum (consequenter, & Parentum primorum) nostrorum, qui accusat illos ante conspectum Dei nostri die & nocte. v. 10. Tot erant vel *Actores*, vel *accusatores*. Deus autem inauditum parte altera iudicium ferre volebat, quia secundum Boni iudicis officium, audita parte altera, nim. actore, vel accusatore dicitur: *Manet altera Reo*. Sic igitur Deus utramque partem ream audire volebat, & satis commode, quia statim Adam instar soricis se prodit, dum inquit: *Vocem tuam, Domine, audivi in paradiso, & NB. timui, eo quod NB. nudus essem, & abscondi me. Sorex* hic se prodit, dum adducit, & *timoris peccaminosi veritatem*, timui, quoad *formalem statum*: & *Timoris peccaminosi causalitatem*, quoad *causalem ortum*, eo quod nudus essem; & *timoris peccaminosi fructum*, quoad *immediatum effectum*, *abscondi me*. Sic ergo non ipsum peccatum, necessarium tamen peccati proprium, nolens volens fatetur. *Judex* non quidem verbis apertis habet, quod vult; peccatum homo peccator dissimulat, *peccati proprium*, & consequens necessarium, indicat, adeoque *prudens imprudens* causam præsentem adornat: *prudentiam* carnalem adhibet peccatum dissimulando, sed *imprudentiam* realem exhibet, illud per indicia certissima notificando. Hoc intellectus confusi, memoriæ confusæ, linguæ confusæ certissimum indicium, & ipsius peccati symbolum. Qua de causa Deus *Judex* statim inquisitionem formalem materiali præcedenti, nim. *Ubi es?* subjungit: *Quis indicavit tibi, quod nudus esses? nonne ex ligno, de quo præcepi tibi, ne comederes, comedisti.* II. Sic

DE ÆTERNA JUDICII DIVINI OECONOMIA.

II. Sic *Examen consistit* (II) in *Judiciali inquisitionis actu*, q. d. ô miser peccator, supprimis causam, exprimis effectum, abscondis peccatum, ostendis ejus proprium, implicas culpam, explicas notam, oculis prævaricationem, & aperis ejus operationem, prudens videri vis in diffitendo, & nimium imprudens es in confitendo, peccatum, veram *fuge causam* abscondis, & effectum, peccati necessarium indicem, confiteris, filiam producis, & matrem ignorare contendis. &c. O stultitiam! ô Vesaniam! Inquiram paucis, & culpa tua patebit in multis: *Omniscio* cuncta patent, παντόμηνη nihil latet. Cum dissimulatio nihil prodesset *Adamo*, mox aliud culpæ quærebat emplastrum, & ad *excusationis*, vel *translationis* confugiebat *asylum*, dicens: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Quot verba fere, tot *excusationis pondera* rursus *Adamus* adhibere conatur. q. d. (a) הוֹשֵׁנָה, opus tuum egregium, Conf. Cap. II 22. quod condidisti, si melius condidisses, melius mihi profuisset: (b) *Dorothea* tua, *donum* tuum, *Eva* tua, quam dedisti mihi, non ego, sed *donum* tuum est in culpa. (c) *socia* tua, אֲרוּץ, *adjutorium* tuum, *jocium* non ab alio mihi, sed à semetipso destinata, (d) quæ debebat esse כַּנְרִי vel עִמָּרִי *mecum*, vel *coram me*, consilio tuo, iudicio tuo, beneficio tuo, &c. (e) *hec*, & non alia mihi dedit fructum prohibitum, & sic quod ab illa venit, à te venit, quia tuum, vel à te mihi destinatum erat *adjutorium*, *materfamilias* mea, *curatrix* mea, vel, juxta modernum loqvendi consuetudinem, *coqua mea*. (f) sic *comedi*, non aliter: sic igitur ἡ ποδῶν Φαντασίας tandem fatetur *Adam*, se comedisse, sed, ut patet, per egregium *translationis* statum, primum & ἀμύσως in *mulierem*, ἐμμέσως ac *originaliter* in *Deum* culpam transgressionis defert. Egregium *Hypocritarum*, & *Causidicorum* speculum! O turpe peccati *patrocinium*! Hic optime valet illud Poëtæ: *Causa patrociniis non bona, pejor erit.* Licet autem *Adam* sole clarius, & hic peccet, peccatisque peccata cumulet, & nihil minus, quam *excusationem*, aut *defensionem*, vel *sufficientem rationem* explicet, attamen *justus iudex* intime nullitatem *responsionis*, *excusationis*, & palli-

palliationis Adamicae penitissime perspiciens, in causa manifestat nihil regerit, sed ad *Evam*, alteram partem *ream* procedit inquisitione sua, dicens mulieri, *Quare hoc fecisti?* Hæc non minus prompta, sed per ipsum peccatum, & naturam corruptam edocta, suum *Adamum*, æmulatur, & meras *exceptiones, excusationes*, atque *colorationes* aucupatur: *Serpens decepit me, & comedi.* Non ovum ovo similis, quam *Eve* responsum *Adæ* responso. Sic igitur & peccatum peccato semper simile, & ejus effectus semper similes. *B. Gerb.* ad hæc verba notat *Comm. super h. l. Inquirat Deus in peccatum Eve; Et dixit Dominus Deus mulieri, quare hoc fecisti? v. 13.* Non poterat *Eva* peccatum negare, quod *Adam* jam fuerat confessus: ideo non querit *Deus*, *An fecerit?* sed *Cur fecerit?* id est, cur passa fuerit, se à verbo abduci, ut comederit. Possunt etiam verba *Hebræa* *מַה זֶה עָשִׂיתְּ* *Quid hoc fecisti?* accipi ἐλαττωτικῶς, ut subintelligatur pronomen *ἅντι*, *Quid est hoc, quod fecisti?* Huic inquisitioni ex parte *Dei*, respondet itidem excusatio ex parte *Eve*: *Et ait Mulier: serpens seduxit me, & comedi, v. eod.* Confiteatur etiam ipsa peccatum, sed itidem illud excusat, transferendo ejus culpam in serpentem, & consequenter in *Deum* ipsum, qui creavit serpentem. Quasi vero *Deus* hoc sine creaverit serpentem, ut pateretur *Eva* se per eum à verbo *Dei* abduci.

12. III. In Judicialis Decisionis Eventu. Non opus habet *Deus* καρδιογνωστῆς, & omniscius, iudex etiam summus, ulla vel exceptione, vel dilatione, vel testium adhibitione, vel appellatione, vel ullis aliis juris, nonnunquam intempestivis, periculosis, & pariter exitiosis, beneficiis, sed statim, tanquam justissimus, iudex, decisum addit, & quidem (1) *adversus serpentem*, v. 14. & 15. (2) *adversus Evam*, & sexum muliebrem, v. 16. (3) *adversus Adamum*, v. 17. 18. 19. Sicut enim tres causæ, circa lapsum agentes, & contra *Deum*, *Deique* legem, peccantes extiterunt, sic etiam sententia judicialis *adversus* omnes & singulos pronuntiatur.

13. Judiciale decisum *adversus Serpentem* institutum, alterum est *justitie mere*, alterum est *justitie mixte*, vel *misericordiae temperate*: prius partim fertur in serpentem naturalem, partim

B

in

DE ÆTERNA JUDICII DIVINI OECONOMIA.

in serpentem infernalem. Ad serpentem naturalem pertinet **v. 14.** ad infernalem. **v. 15.**

14. *Judicialis decretum* adversus serpentem naturalem est *maledictionis*: Nam Dominus Deus ad serpentem dixit: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terra: super pedes tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vite tue: quibus in verbis notatur, (1) Decisionis judicialis ratio: Quia fecisti hoc: Culpa præmittitur, pena sequitur.* Sicut alias non datur *judicium*, ubi non datur *flagitium*, & *maleficium*; ita pariter & *judicii*, & *supplicii* causa, *fundamenti* loco primum allegatur, & postea *judicium* ipsum promulgatur. Deus ipse novit hoc *flagitium*, *Eva* confessa fuit, *Adamus* consensit, *Diabolus* tacuit, (qui vero tacet, & ipse consentire, communi verbo, dicitur;) Sic igitur nec *inquisitione*, nec *examine*, fuit opus. Adfuit *Diabolus* non negans, sed hoc silentio suo comprobans *seductionis* maleficium: eum enim alias sit impudentissimus & callidissimus Spiritus, v. i. nunquam sine *responsione*, sine *contradictione*, hanc explicitam & *judicialem* inculpationem *Eva* dimisisset, nisi reum se novisset, & manifesto sceleri facti convictus fuisset. Adfuit *par testium*, *Adamus*, & *Eva*, cum in ore duorum & trium consistat omne verum. *Deut. XIX. 15.* Adfuit ipse *DEUS* *judex παντόμνος*, qui cuncta viderat, audiverat, & per suam *παντοψία* observarat. Convictus igitur est *Satanas*, licet non sit confessus, adeoque jure decisionis *judicialis* fulmen in ipsum dirigitur. In notoriis, & omnibus obviis causa, nec *inquisitione*, nec *confessione* videtur opus. (2) *Decisionis judicialis Generalis intimatio: Maledictus es: hæc maledictio fertur εὐμέσως in serpentem naturalem*, ut immediate sequentia docent, licet *εὐμέσως maledictionis* fulmen tangat etiam serpentem *infernalem*, qui tamen antea jam fuerat & *maledictus*, & *condemnat*, & omnibus cruciatibus infernalibus atque tormentis adjudicatus. Hinc etiam multi tum *Orthodoxorum*, tum *Heterodoxorum* *Interpretum*, hoc *Maledictum* esse referunt ad utrumque serpentis genus, vid. & ad *naturalem*, & ad *infernalem*, cum infernalis jam fuerit, & maneat *maledictus*, naturalis autem ex decreto *divino* jam sit *maledictus*. (3) *Specialis panarum enumeratio: spe-*

speculis hæc maledictio punit (a) *Serpentis naturam*, & *quidditatem*, quia dicitur Maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ; quibus comparatur serpens cum aliis terræ bestiis, vel animantibus, & huic maledictio, præ cunctis aliis infligitur. (b) *quoad proprietates*, in primis *motum & incessum*, super pectus tuum gradioris, quia, juxta nonnullos, omnes serpentes, secundum alios, hoc serpentis genus, recta prius incedere potuit, sed nunc gressus quasi pectorales eidem imponuntur. (3) *quoad operationes*, cum primis *ratione manducationis, vel alimentationis*, terram comedes eunctis diebus vitæ tuæ.

15. *Alterum judicium*, quod est *mera justitie*, fertur in ipsum *Diabolum, serpentem infernalem*, ac iterum in certos *speciales actus judiciales* dispescitur, quales sunt, (1) *Judicialis Inimicitiarum positio*, *Inimicitias ponam inter te, & mulierem*. Ex parte *Diaboli* sunt hæc non modo *vera*, sed etiam *mera justitie*. *Cacodæmon* tunc sibi vanam ex parte generis humani *quietem, & pacem, debitam amicitiam* ex conspiratione peccatorum, perpetuam *victoriam*, ac *interminabiles triumphos*, imaginabatur; verum *cogitationes ejus* non sunt *cogitationes Dei*, sed *Jehova Elobim* meras eidem *inimicitias* parare conatur: *Ego ponam inimicitias*. *Autor* harum *Inimicitiarum*, ipse *Deus Judex*, qui dat, atque ponit has *inimicitias judicialiter*, & suo modo *causaliter*, ut sint, & maneant semper *Inimicitia*: dicitur alias *amicitia grata*, sed *inimicitia ingrata*, *amicitia bona*, *inimicitia mala*, *amicitia jucunda*, *inimicitia molesta*, *amicitia utilis*, *inimicitia noxia*, vel *inutilis*, *amicitia vitæ conservativa*, *inimicitia vitæ destructiva*, *amicitia delectabilis*, *inimicitia detestabilis*. &c. Sic igitur *molestias* meras, *pænas* meras, *Deus serpenti paradisiaco* per *inimicitias* ponit. Et quia *lex juris naturalis* est, per quod quis peccat, per idem punitur & idem, ideò *justissimus Judex* hoc suum *ius* respicere voluit. Satan per mulierem peccavit, dum eam seduxit, nunc per eandem punitur.

16. Non igitur parat *inimicitias Diabolo*, (1) per *Macrocosmum*, vel *totum hoc universum*, quod nullum cum Diabolo habuerat commercium. Ejectus enim de jure dicitur ex cælo, propter suam apostasiam, & mundo, licet *κοσμοκρατείαν* affectaret, *κοσμοκράτωρ* etiam appellari velit, Eph. VI. 12. unde Spiritus im-

DE ÆTERNA JUDICII DIVINI OECONOMIA.

potens etiam impudentissimo promisso cuncta regna mundi Christo per tentationem offerre non erubuit, Matt. IV. 9. (2) neque per *semetipsum*, vid. *immediate*, quia jam damnatus erat ad tartarum, spoliatus omnibus bonis, ligatus tenebrarum catenis, seu vinculis, oneratus omnibus cruciatibus, & pœnis, II. Pet. II. 4, Divino proinde judicio non amplius, quoad rem ipsam, opus erat, (3) nec per *Angelum bonum*, siquidem angelis bonis resistere Cacodæmones audent, & solent, Dan. X. 20. seq. & in aciem adversus eos exire. Apoc. XII. 7. (4) nec per *Maritum*, qui caput erat humani generis, humanæ societatis (5) sed per *Mulierem*, vas infirmissimum, & sic, quæ primum integra non potuerat resistere Diabolo, nunc corrupta movere debet eidem inimicitias, quæ victa per astutiam, & potentiam, vincere debet per suam impotentiam. (6) imò per *Mulieris Semen*: licet enim materialiter, juxta scripturæ phrasologian, *Semen* notet ipsum *Hominem* quemadmodum passim videre licet, modo per *individualem*, & *hypostaticam*, vel *monadicam*, modo per *generalem*, & *collectivum suppositionem*, prout passim observare licet; tamen in contemptum superbissimi, & gloriosissimi Spiritus, atque *thrononici Victoris*, non incommode *formaliter semen* intelligitur, prout saltem est *in fieri*, nondum *in omni esse*, vel *in omni debita perfectione*, vel *perfecta pariter operatione*, siquidem *Semen* hoc, *Salvator*, & *Jesus*, & *Serpentini Capitis contritor* fuit, (a) *ante Conceptionem*, quia fuit *Iscb Jehova*, Gen. IV. 1. *omnis maledictionis Medicus*, c. V. 29. *omnis benedictionis promus condus*, ut *Semen*, c. XII. 3. XII. 18. XXII. 18. XXVI. 4. XXI. X. 14. *Domini Deus Jehova Elobim*, Luc. I. 16. *Benedictionem* autem non contulisset, nisi prius *maledictionem* hominibus abstulisset, & in *Cacodæmonem* conjecisset, *Semen Immanuel*, Esa. VII. 14. (b) *Salvator*, & *Jesus* fuit *in Conceptione*, quia vere dicitur *Jesus* Luc. I. 31. *Ecce*, dicit Angelus, *conceptionis Legatus*, *concipies in utero*, & *paries filium*, & *vocabis nomen ejus Jesum*: unde Luc. II. 21. dicitur *vocatum eum esse nomine Jesu*, quod nomen *vocatum sit ab angelo*, priusquam conciperetur in utero. Sic etiam Luc. I. 32. seqq. multa producuntur alia *Semini Conceptionis appropriata*, qualia sunt, quod sit (a) *Magnus*, (b) *Filius Altissimi*, (γ) *Rex*, & *regnat*

tor super Domum David in aeternum, (d) qui sine fine super hostes, ipsum serpentem paradisiacum, su regnaturus. (c) post conceptionem, tum quia dicitur, juxta nuncium Gabrielis, Dominus, & Jehova. Luc. I. 15. 17. item juxta canticum Mariae, v. 46 & Zachariae, v. 76. & juxta testimonium Elisabethae, v. 43. tum quia est Dominus Deus, Jehova a Elobim, qui primitus in paradiso, tanquam λόγος, & Orator protoplastis fecerat promissum. Conf. Canticum Zachariae, Luc. I. 68. Mariae, v. 46. 47. Dominus Deus Israel, v. 68. tum quia salutare hominum v. 47. O stupendam Dei Gratiā, & misericordiam! O mirabilem Dei sapientiam! O venerabilem Dei potentiam! Diabolus male fuerat usus femina, dum eam seduxerat & ad apostasiam deduxerat! Deus nunc re mala, muliere corrupta, bene, vel optime sic utitur, dum ab ea, vel in ea, vel per eam inimicitias Diabolo parat, & ex ea, per Semen ejus, omnimodam contritionem, serpenti praeparat. Sic Malum consilium consultor solet esse pessimum!

17. (II) Judicialis inimicitarum operatio, quia tales inimicitiae non sunt vanae, vel frustratae, sed maxime tum ponderosa, tum operosa, non sunt humane, nec angelicae, sed divinae, Ego ponam inimicitias; non sunt verbales, sed reales, non sunt invalidae, vel parum validae, sed maxime validae, non sunt nudi cordis, vel oris, sed ipsius operis, adeoque non sunt nudae pectorales, in corde latentes, & manentes, non nude verbales, in ore sonantes, sed causales ipso pariter opere potenter operantes, non nude ledentes, vel atterentes, non nude vulnerantes, non nude prementes & onerantes, sed totaliter conterentes & destruentes, conculcantes, & exstirpantes, quia semen mulieris conteret serpentem, non in cauda, non in latere, non in cute, non in corpore, sed in capite, in quo vis omnis & virtus, calliditas, & sagacitas omnis, autoritas & potestas omnis, aetivitas & causalitas omnis reperitur. Rex infernalis dissolvitur; ergo quoque regnum dissolvitur; Caput conteritur, ergo quoque corpus & cauda, cum omnibus internis & externis: Autor, & causa malorum destruitur, ergo pariter opera dissolvuntur I. Joh. III. 8. In hoc Dei Filius apparuit, ut dissolvat opera Diaboli: Mirabile dictu, mirabile quoque cogitatu. Potens fit impotens, Victor Victus, Adultus debellans, debellatur ab infante, magnos superans, supera-

DE ÆTERNA JUDICII DIVINI OECONOMIA.

tur ab *embrione*, *fatores* totius humani generis concutiens, con-
teritur à *Semine*. &c. Hoc divinum, hoc *justum Dei judicium*.

18. (III) *Vana calcanei lesio*: licet enim *serpens* suo vene-
nato, mortiferoq; *morsu calcaneū* hujus *Seminis* petiturus, & attri-
turus erat, non tamen ipsu. n *Semen* contriturus erat. Egregia da-
tur hic *oppositio*, Summum est membrum *caput*, *calcaneus* est i-
mum, *caput* est nobilissimum, *calcaneus* ignobilissimum, *Caput* est
angustissimum, *calcaneus* subjectissimum membrum, *caput* inge-
niosissimum, & sapientissimum, *calcaneus* callosissimum & insi-
pientissimum, *caput* preciosissimum, *calcaneus* vilissimum, &c. *ser-
pens* atterit, non conterit, pungit, non perdit, solvit, non dis-
solvit, solvit per *mortem* animam, & corpus, non dissolvit *Divinam*
& *Humanam* Naturam, cum *ἀδιαλύτως*, & *ἀδιαλείπτως*, indissol-
ubiliter & indefinenter sint unitæ. *Semen mulieris* est ante *cal-
canei lesionem*, conterens caput, manet in *lesione* conterens caput,
q̄via *Mors Christi*, *Mors mortis*, *Mors Diaboli*, *vita redemptoria*, vi-
ta mortuorum. Judicium hoc iterum mirabile! Manet hoc
Semen post *calcanei contritionem*.

19. Sicut autem *judicium* hoc respectu *Diaboli* meræ *ju-
stitiæ*, sic respectu *Hominum* fit *temperata justitiæ*, & *misericor-
diæ*. *Misericordissimum* dicitur hoc *judicium*. I. Quoad *miseri-
cordissimam Inimiciciarum positionem*; mira certe videtur hæc
inimiciciarum positio, dum est *Dei*, dum *offensi*, dum *inimici*: Deus
omnia bona per creationem contulerat, homo cuncta Mala Deo
reposuerat, graviter Deum offenderat, & *inimicus Dei*, conjuratus
Diaboli contra *Deū* factus, & omnib; *Dei* bonis damnabiliter abusus
fuerat. Quid aliud, nisi *malitiæ fructus*, *justitiæ fœnus*, expectare
poterat, nim. *maledictionem*, & *condemnationem*? Sed rerum
mutatur *facies*. Deus *offensus* fit *Patronus*, & *Defensor*, *Inimicus*
Amicus, *justus misericors*, *imtus placatus*, *severus graciosus* &c. Unde
hoc? non aliunde, q̄vam ex *misericordia*. *Misericordia* Deum
judicem facit *Patrem*, Deum *actorem* facit *Mediatorem*, *accusato-
rem*, *interpellatorem*, *Antimachum*, verum *promachum*, *inimicitias*
contra nos *victos* molientem, contra *victorem*, *adversarium nostrum*,
ponentem, siquidem hæc *inimiciciarum positio* vera *nostrarum*
injū-

injuriarum ultio, vel retributio. Ubi Deus inimicitias ponit, ibi vere, severe, potentissime, vel efficacissime ponit. Adversarius noster nunc Deum adversarium videt, ac ejus inimicitias timet. Ex misericordia Deus nobiscum, sed ex justitia cū adversario serpente nunc agit.

20. (II) *Quoad misericordissimam serpentini Capitis contritionem, Et ipsum conteret caput tuum: Deus hominis peccatoris causa non tantum serpenti bellum indicit, & perpetuas inimicitias ponit, sed etiam victoriam promittit, quod Semen Mulieris serpentis caput sit contriturum, quo contito, de serpente penitus actū erit, cum primis de serpentis calliditate, quoad peccatorū ingressum, de serpentis potestate, quoad peccatorū progressum, cum sua velocissima vel activitate, vel facultate lapsum promoverit, de serpentis auctoritate, quoad egressum, quia super lapsum genus humanum, instar Tyranni, regimen susceperat: sed capite contrito calliditas consiliorum evanescit, potestas factorum obstupescit, auctoritas gubernatorum continuari nescit. Mirum hoc rursus judicium. Nam homo antea peccaverat, Semen mulieris panam sustinere debebat, homo defecerat, Semen mulieris reficere volebat. Homo poenas omnes meritus erat, Semen autem mulieris meritum omne, tum culpa, tum pane, recipiebat. Sed hæc omnia juxta Misericordiam viscera fiebant.*

21. (III) *Quoad Misericordissimam Seminis mulieris passionem, Actio peccatoris hominis fuerat, quia Dei legem transgressus erat, passio pariter hominis peccatoris esse debebat, sed hanc sustinere non valebat: justitia qui satis facere non poterat, ex misericordia remedium accipiebat. Misericordie divinae beneficiū sic erat (a) Inimicitiarum divina positio, quia sine Mediatore, vel Propugnatore victus homo, propter suam infirmitatem, Serpenti nullum bellū, nullas inimicitias inferre potuisset, nisi mox aliter ipsi per Dei Misericordiam prospectum fuisset (b) Inimicitiarum humanarum in Messiam translatio, cum homo peccator nihil contra Diabolum valeret, Semen Mulieris Deus adversus ipsum armaret, & in eum has omnes inimicitias transferebat. (c) Inimicitiarum Messia contra serpentem operatio, quæ satis est magna, satis multa satis ardua, quia non caudam, non latum, non cutē, oppugnat, sed ipsum caput expugnat, neq; tantū laedit, aut pungit, neq; saltē ferit, vel atterit, sed totum caput conterit. In primis autem Misericordia divina certissimum indicium erat,*

quoad

DE ÆTERNA JUD. DIV. OECONOMIA, EX GEN III. 8.

quod omnem pœnam hominis in Semen mulieris, omnem mortem peccatoris, in personam mediatoris, omnem lesionem, & passionem transgressoris in calcancum Salvatoris transfert.

22. Hinc etiam alia misericordie judicia sequuntur, nim. (1) *Judicium Eve*, tanquam primum seductæ, vel peccantis. I. Tim II. 14. *Judicium* hoc proponitur, v. 16. & multa complectitur, sed ex mera *justitia* non proficiscitur, quia post *Seminis mulieris promissionem* producitur, adeoque per *misericiordiam* jam *temperatam* introduci- tur: Deus enim credentibus Protoplastis *onus crucis* imponit, sed *manus auxiliatrices*, vel *salutis*, mox apponit, vel etiam *supponit*, ne suas ultra vires tententur, I. Cor. X. 13.

23. (2) *Judicium Adæ*, quod v. 17. 18. 19. recitatur, & ejusdem conditionis affirmatur. Multa pariter hoc *judicium* exhibet, quæ charta præsens non admittit. Hoc unicum adjicere placet, quod hoc etiam *judicium misericordie temperatum* sit, hinc Deus non *Adamum* dicit *maledictum*, sed potius *terram*, propter *Adamum*, *maledictam* pronunciat.

24. Tandem sequuntur *judicia Ceremonialia*, qualia sunt *triplicis* generis (1) aliud *Materiale*, respectu *Adami*, dum *Adam* ex volunta- te Dei vocavit uxorem suam *Evam*, quod *ceremoniale* quasi *nomen*, & *judicium* erat, nim. quod hæc *mater omnium viventium* futura, neq; *mors* simpliciter in *humano* genere *dominatura* sit.

25. (2) Aliud *principale*, ratione Dei, quod est *tergeminum* (1) ali- ud *indicatorium*, v. 21. vid. *vestimentorum induitio*, quæ parata di- cuntur ex *pellibus sacrificialibus*, adeoq; *misericiordie* faciunt indi- cium, & *vestimentorum justitie* Christi spiritualis gerunt *typum*, (2) aliud *objurgatoriũ*, quia Deus *panoribosi* gravissima corrigebat *Ada- mũ*, v. 22. quæ correctio *verbalis* loco *realiũ* *judiciorum* itidem *miseri- cordie* *symbolum* est, (3) aliud *Executorium*, quia ne Protoplasti nunc in *miseria* de *Arbore vite* comederent, suamq; *miseriam* in æternum protraherent, propterea Deus ipsos ex *paradiso* dimittere voluit, quod itidem *misericiordie* dicitur *indicium*.

26. (3) Aliud *Ministeriale*, respectu *Angeli*, quia Deus ad fores *Pa- radisi Cherubim*, ministrum Angelũ *flammante gladio* posuit, ut *pa- radisi portas* custodiret, homines in *paradisum* non admitteret, & sic *misericos* etiam *Ministerium* hominibus *admin* *straret*.